

pontificum, sanctarum Katherinae, Margaretae, Agnetis et Caeciliae virginum, sanctae Affrae dicti loci patronae, sanctae Mariae Magdalенаe, in dedicatione ecclesiae et per octavas festorum omnium praedictorum causa devotionis et in spiritu humilitatis accesserint aut manus adiutrices porrexerint ad fabricam ecclesiae, quae de novo est inchoata nec ad id proficere valeant, nisi Christi fidelium elemosynis adiuventur, aut in extremis laborantes aliquid de bonis suis dictae ecclesiae legaverint. Universitatem vestram rogamus monemus et exhortamur in domino in remissionem vestrorum peccaminum iniungentes, quatinus ad tam pium locum vestras pias elemosynas, ut per haec et alia bona, quae domino inspirante feceritis, ad aeterna felicitatis gaudia pervenire valeatis, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum atque omnium sanctorum eius auctoritate confisi, singuli singulas quadraginta dierum indulgentias de iniunctis sibi poenitentiis, dummodo voluntas et consensus diocesani ad id accesserit, misericorditer in domino relaxamus. In cuius rei testimonium sigilla nostra praesentibus duximus apponenda. Datum Romae apud sanctum Petrum anno domini M°.CC°. nonagesimo VII°. pontificatus domini Bonifacii papae octavi anno tertio.

Nach dem Chart. monast. s. Afrae II. 101b.

No. 186. 1300. 19. Apr.

Der Probst und Convent beurkunden, dass der Streit mit dem Kloster Seuslitz wegen des Waldes bei Radewitz durch Feststellung der Gränzen der beiderseitigen Antheile an demselben beigelegt sei. Vgl. No. 181. 182.

Ne cupiditas, quae mater est litium et pacis inimica, lites in posterum super laudabiliter gestis valeat suscitare, bonum et aequum est ea litteris et testibus roborari. Ad perpetuam igitur rei memoriam nos Conradus praepositus totusque conventus regularium ecclesiae sanctae Afrae in Missene universis, ad quos praesens scriptum pervenerit, volumus esse manifestum, quod super quaestione limitum nemoris in Suseliz, quae inter nos ex parte una et sorores sanctae Clarae in Suseliz ex parte altera vertebatur, per Sgibanum militem dictum de Promeniz de voluntate bona ac consensu partis utriusque diffiniendo et distinguendo fuit concordatum sub hac forma, quod in via ascensus de Suseliz in Raschwiz, quae via publica strata ducit in Missenam, cum pervenitur ad eum locum, ubi vallis nemore consita protenditur a vinea regularium praedictorum ad viam praedictam, ex alia parte eiusdem viae descendit alia vallis contra septemtrionem, quae valles quasi angulis acutis viam praedictam contingunt; illa igitur vallis, quae contra septemtrionem protenditur, pertinet ad allodium Rasgwiz, quod est regularium, usque ad monticulos ibi factos contra occidentem et lapides ibi positos, necnon et quercum praecisam, quae stat versus allodium antedictum. Reliquum nemus ad sorores in Suseliz debet pertinere, retro allodium vero Rasgwiz, ubi via intrat nemus sororum praedictarum, ubi signa limitis distinctiva, videlicet monticulus et lapides sunt facta, directe per illa signa ab occidente versus orientem ultra vallem, quae ab allodio Rasgwiz protenditur, a meridie scilicet versus septemtrionem per monticulos et lapides procedendo, usque dum ad